lius enim est, legis Papiæ severitatem in utroque casu compescere, quam eam sequendo hominum matrimonia dispergere, non ex vitio mulieris & mariti, sed ex prospera alterutrius patris fortuna: cum enim ex una radice vitium nascitur, consequens est ut una lege tollatur.

De scenicis mulieribus.

29. Idem A. ubique terrarum constituitis Episcopis.

SAcram fecimus constitutionem [1], nemini permittentes neque invitam mulierem ancillam aut liberam, in scenam aut orchestram pertrahere, neque converti volentem, prohibere eam ejus fidejussores [2], quasi super hoc ipso certum auri modum promissum repetendo: sed si quid tale factum fuerit, prohiberi hæc & a clarissimis provinciarum præsidibus & a civitatum religiosissimis Episcopis constituimus, dantes licentiam religiosissimis Episcopis una cum clarissimo provinciæ Præside, etiam invitos trahere ad se eos qui compulerint, aut qui mutari seu converti ab ea actione prohibuerint, & publicam quidem fieri eorum substantiam, ipsos vero civitate expelli. Si vero qui provinciam regit, ipse sit qui eas compulerit aut a prædicta actione conversionem seu resipiscentiam prohibuerit, damus licentiam & solos religiosissimos Episcopos adire eam quæ talia patitur, aut ejus fidejussorem, hunc vero [Episcopum] adversari magistratum habenti, & non permittere injuste agere, aut si minus fuerint ad id consequendum potentes indicare id nostro imperio, ut a nobis competens exerceatur pœna: fidejussionibus simul liberandis, & fidejussoribus [3] indemnibus conservandis: licentiam dantes conversis hujusmodi mulieribus liberis & ingenuis existentibus ad matrimonium transire legitimum, etiamsi contigerit honestissimis dignitatibus qui illas duxerint, decorari, non amplius indigentibus imperialibus rescriptis, sed sua potestate nuptias celebrantibus, nuptialibus nimirum instrumentis omni modo inter ipsos factis eademque & de filiabus scenicarum constituentes.

§. 1. Hanc autem dictam constitutionem, & in quinto libro omnium constitutionum hujus scilicet nostræ pietatis cognominis libri ad civiles magistratus rescriptam posuimus. Quoniam enim oportebat per præsentem sanctionem, & vobis ubique terrarum positis religiosissimis Episcopis hæc facere manifesta, propterea congregantes, quæ ad ipsam pertinent expositione latiore sancita, etiam eandem divinam constitutionem fecimus etiam ad vos, ut sacerdotalem conservantes reverentiam & continentiæ studiosi, hæc custodatis, tam magni Dei metum, quam imperialem indignationem, si quid horum prætermiseritis, considerantes. Dat. Kalend. Novembr. C. P. D. N. JUSTIN. IV. & PAULINO CONSS. 534.

TIT. V.
DE INCESTIS [4] ET INUTILIBUS NUPTIIS.

De liberta, quæ a patrono divertit.

1. Imp. ALEXANDER A. Amphigono.

LIberta [5], eademque uxor tua, si a te invito [6] discessit [7], connubium cum alio non habeat, si modo uxorem eam habere velis.

De polygamia.

2. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Sebastianæ.

NEminem, qui sub ditione sit Romani nominis, binas [8] uxores habere posse, vulgo patet: cum etiam in Edicto Prætoris hujusmodi viri infamia notati sint. Quam rem competens judex inultam esse non patietur.

De ancillis.

3. Imp. CONSTANTINUS A. Patroclo.

CUm [9] ancillis non [10] potest esse connubium [11]: nam ex hujusmodi contubernio servi [12] nascuntur: ideoque præcipimus, ne Decuriones in gremia potentissimarum domorum libidine servarum ducente confugiant. Si enim Decurio clam actoribus & procuratoribus nescientibus, alienæ fuerit servæ conjunctus: & mulierem in metallum detrudi per [13] sententiam judicis jubemus: & ipsum Decurionem in insulam deportari: omnibus bonis ejus civitati, cujus Curialis fuerat mancipandis, si patria potestate fuerit liberatus, nullosque habeat liberos, vel parentes, vel etiam propinquos, qui secundum legum ordinem ad ejus successionem vocentur. † Quod si actores vel procuratores loci, in quo flagitium admissum est, fuerint conscii vel compertum facinus promere noluerint: metallo eos convenit implicari. † Si vero dominus [loci] hoc fieri permisit, vel postea [14] cognitum celavit, si quidem in agro id factum est, fundus cum mancipiis & pecoribus, cæterisque [15] rebus quæ cultui rustico sustinentur, fisci juribus vindicetur. Si vero in civitate id factum est: dimidiam bonorum omnium partem præcipimus confiscari: pœnam augentes, quoniam intra [16] domesticos parietes scelus admissum est, quod noluit mox cognitum publicare. [17]

§. *De matrimonio contra legum præcepta, vel contra mandata constitutionesque Principum.*

4. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. ad Andromachum Comitem rerum privatarum.

QUi contra legum [18] præcepta, vel contra mandata [19] constitutionesque [20] Principum nuptias forte contraxerit; nihil [21] ex eodem matrimonio, sive ante [22] nuptias donatum, sive deinceps quoquo modo [23] datum fuerit, consequatur: idque totum quod ab alterius liberalitate in alterum processerit, ut indigno indignæve sublatum, fisco [24] vindicari sancimus: Exceptis tam fœminis, quam viris qui aut errore [25] acerrimo [26], non affectato, insimulatove, neque ex vili causa decepti sunt, aut ætatis [27] lubrico lapsi: Quos tamen ita demum legis nostræ laqueis eximi placuit, si [28] aut errore comperto, aut ubi ad legitimos pervenerint annos conjunctionem hujusmodi sine ulla procrastinatione diremerint.

De uxore fratris, de sorore uxoris.

5. Iidem AAA. Cynegio.

FRatris [29] uxorem ducendi vel [30] duabus sororibus conjungendi penitus licentiam summovemus, nec dissoluto quocunque modo conjugio.

Pœnæ incestarum & vetitarum nuptiarum.

6. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Eutychiano PP.

SI quis incesti [31] vetitique conjugii sese nuptiis funestaverit: proprias, quamdiu vixerit, teneat facultates [32]: sed neque [33] uxorem, neque [34] filios ex ea editos habere credatur. † Nihil prorsus prædictis [35], neque per interpositam quidem personam, vel doner superstes, vel moriturus derelinquat: dos [36] si qua forte solenniter aut data aut promissa fuerit, juxta jus [37] antiquum fisci nostri commodis cedat: testamento suo extraneis [38] nihil derelinquat: sed (sive testato, sive intestato) legibus ei & jure succedant, si qui forte ex justo & legitimo matrimonio editi fuerint: hoc est, de descendentibus filius, filia, nepos, neptis, pronepos, proneptis: de ascendentibus autem pater, mater, avus, avia: de latere, frater, soror, patruus, amita. † Testandi sane ita demum habeat facultatem, ut his tantummodo personis pro juris ac legum, quod voluerit arbitrio relinquat, quas succedere imperialis præcepti tenore mandavimus: ita [39] tamen, ut [ab] hereditate defuncti penitus arceatur, si quis ex his [40], quos memoravimus in contrahendis incestis nuptiis consilium iniisse monstrabitur, successuro in locum illius, qui post eum gradu proximus invenitur.

† Ea sane quæ de viris cavimus, etiam de fœminis, quæ prædictorum sese consortiis commaculaverint, custodiantur. † Memoratis vero personis non extantibus [nostro] fisco locus pateat. Dat. 6. Id. Decemb. *Constantinop.* ARCADIO IV. & HONORIO III. AA. CONSS. 396.

In AUTHENT. de incestis & nefariis nuptis. §. 1. col. 2. tit. 7. al. 6. Novell. 12. cap. 1.

INcestas nuptias [41] contrahentis pœna est, confiscatio [42] bonorum, tam cæterorum, quam dotis: exilium [43] etiam & cingulí (si quo potitur) spoliatio: verberatio quoque si vilis est, fœmina quoque talia scienter peccante, similis pœna subjuganda. Substantia sic amissa [44] liberis hoc ipse sui juris effectis, si quos habet legitimos applicetur: ut tamen pater ab eis alatur: quibus non extantibus fisco defertur.

In AUTHENT. quib. mod. naturales effic. sui. §. fin. col. 7. tit. 1. Novell. 89. cap. ultimo.

EX [45] complexu nefario aut incesto, sive damnato liberi, nec [46] naturales sunt nominandi, omnis paternæ substantiæ indigni beneficio, ut nec alantur [47] a patre.

De humilibus & abjectis fœminis, nec non de Senatoribus.

7. Impp. VALENT. & MARTIANUS [48] AA. Palladio PP.

HUmilem [49] vel abjectam [50] fœminam minime eam judicamus intelligi, quæ licet pauper [51] ab ingenuis tamen parentibus nata sit. Unde licere statuimus Senatoribus, & quibuscunque amplissimis dignitatibus prædितis ex [52] ingenuis parentibus natas, quamvis pauperes in matrimonium sibi accipere, nullamque inter ingenuas & opulentiores ex divitiis & opulentiore fortuna [1] esse distantiam. Humiles [2] vero abjectasque personas eas tantummodo mulieres esse censemus; ancillam, ancillæ filiam, libertam [3], libertæ filiam [scenicam, scenicæ filiam, tabernariam, tabernarii vel] lenonis aut arenarii filiam; aut eam quæ mercimoniis publice præfuit. Ideoque hujusmodi inhibuisse nuptias Senatoribus [4] harum fœminarum, quas modo enumeravimus, æquum est. Dat. Prid. Non. April. *Constantinop.* AETIO & ASTERIO [5] CONSS. 454.

De uxore fratris.

8. Imp. ZENO A. Epinico P.P.

LIcet quidam Ægyptiorum [6] idcirco mortuorum [7] fratrum sibi conjuges [8] matrimonio copulaverint, quod [9] post illorum mortem mansisse virgines dicebantur, arbitrati scilicet (quod certis [10] legum conditoribus placuit) cum corpore [11] non convenerint, nuptias non videri [re] esse contractas; & hujusmodi connubia tunc temporis celebrata firmata sunt, tamen præsenti lege sancimus, si quæ hujusmodi nuptiæ contractæ fuerint, eas earumque contractores, & ex his progenitos, antiquarum legum tenori subjacere, nec ad exemplum Ægyptiorum (de quibus supradictum est) eas videri fuisse firmas, vel esse firmandas.

Abrogatio rescriptorum, vel pragmaticarum formarum, aut constitutionum, quæ tyrannidis tempore incestas nuptias permiserant.

9. Imp. ANASTASIUS [12] A. Severiano P.P.

AB incestis nuptiis universi, qui nostro reguntur imperio noverint temperandum: nam rescripta [13] quoque omnia, vel pragmaticas formas aut constitutiones impias, quæ quibusdam personis tyrannidis tempore permiserunt scelesto contubernio matrimonii nomen imponere, ut fratris filiam [14], vel sororis [15], vel eam quæ cum fratre quondam nuptiali jure habitaverat, uxorem legitimam turpissimo consortio liceret amplecti, aut ut alia hujusmodi committerentur, viribus carere decernimus: ne dissimulatione culpabili nefanda licentia corroboretur.

TIT. VI.
DE INTERDICTO [16] MATRIMONIO INTER [17] PUPILLAM ET TUTOREM SEU CURATOREM FILIOSQUE EORUM.

De rusticitate & imperitia.

1. Impp. SEVERUS & ANTONIN. A A. Marino.

SEnatusconsulti [18] auctoritatem, quo inter pupillam & tutoris filium connubium saluberrime sublatum est, circumveniri rusticitatis & imperitiæ velamentis non oportet.

De matre pupilla.

2. Imp. ALEXAND. A. Byrrho.

MAter pupillæ cum [19] tutore filiæ suæ, vel filio tutoris nuptias contrahere non prohibetur.

De curatore post nuptias dato.

3. Idem A. Rogatiano.

CUm proponas ei, quam matrimonio tuo junctam suggeris, post liberos susceptos curatorem patrem [20] tuum datum, quem contendis, nec te in potestate habuisse: cum rite contractum matrimonium ex post [21] facto vitiare non potuerit, justam interpretationem metuere non debes: ne liberi quos habetis, non ex justo matrimonio suscepti videantur. Ut autem omnis scrupulus [22] auferatur, insistere pater tuus debet, necnon & uxor tua, ut alius loco ejus detur: habebit enim facultatem repetendæ rationis negotiorum gestorum ab eo qui fuerit substitutus.

De filio liberti tutoris.

4. Imp. PHILIPPUS A. Higinæ.

LIbertinum, qui filio suo naturali [23], quem in servitute susceperat, postea manumisso pupillam suam, eandemque patroni sui filiam in matrimonio collocavit; ad sententiam Amplissimi ordinis qui hujusmodi nuptias interdicendum putavit, pertinere, dubitari non oportet.

De filia curatoris.

5. Impp. PHILIPPUS A. & PHILIPPUS C. Apuleio.

CUratorem [24] adulto suo filiam suam nuptui collocare non posse, falso tibi persuasum est. [25]

De filio tutoris.

6. Impp. VALER. & GALLIEN. AA. Lucio.

SI [26] patris tui pupillam nondum reddita tutelæ ratione, vel post redditam nondum exacto quinto & vicesimo anno, necnon utili [27] anno, uxorem duxisti: nec matrimonium cum ea habuisse, nec filium ex hujusmodi conjunctione procreasse videri potes. Sane [28], si hoc pater puellæ, cum [29] decederet, postulavit, & nuptiæ rite contractæ, & filius videtur jure susceptus.

De infamia & dotis conditione.

7. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Paragonio.

SI tutor, vel curator pupillam, vel adultam quondam suam sibi [30], vel filio [31] suo, nullo divino impetrato beneficio, in matrimonio collocaverit: manet infamia contra eum, veluti confessum de tutela: quia hujusmodi conjunctione fraudem administrationis tegere laboravit: & dos data per conditionem repeti potest.

De eo, qui pro tutore, seu curatore, vel negotiorum gestore administravit.

8. Impp. LEO & ANTHEMIUS AA. Erythrio P.P.

SI quis tutoris vel curatoris nomine usurpato, id est, pro [32] tutore seu curatore negotiorumve gestore res pupillæ administraverit, eamque sibi filiove suo copulaverit: tales nuptias stare, & non ad exemplum tutorum infirmari sancimus: ne ex hujusmodi subtili, vel maligno tractatu matrimonia, seu proles ex his progenita vel dos super his data, vel promissa, aliquam læsionem, vel calumniam patiantur.

TIT. VII.
SI QUACUNQUE PRÆDITUS POTESTATE, VEL AD EUM PERTINENTES AD SUPPOSITARUM JURISDICTIONI SUÆ ADSPIRARE TENTAVERINT [33] NUPTIAS.

1. Imppp. GRATIAN. VALENT. & THEOD. AAA. Theodoro P.P.

SI [34] quis ordinaria, vel qualibet præditus potestate, circa nuptias invitis ipsis, vel parentibus [earum] contrahendas (sive pupillæ, sive apud patrem virgines, sive viduæ erunt, sive sui juris viduæ, denique cujuscunque sortis) occasione potestatis utatur, & minacem [35] fervorem suum invitis his, quorum utilitas agitur, exhibere, aut exhibuisse detegatur, hunc, licet prohibitas nuptias non peregerit, attamen pro tali conamine [36] multæ librarum auri decem obnoxium statuimus: & cum honore abierit, peractam dignitatem usurpare prohibemus, tali scilicet pœna, ut si circa honorem eum, quo male usus est, vindicandum nostris statutis parere noluerit: eam provinciam in [37] qua sibi usurpaverit, habitare per juge biennium non sinatur. Illo videlicet adjiciendo, ut & in potestate adhuc constituto, liceat personæ quam hujusmodi ambitu circumvenire tentaverit, confestim contestatione proposita, cum sua fuorumque domo jurisdictionem ejus evitare: curaturis hoc uniuscujusque civitatis defensoribus, & ejusdem judicis apparitoribus. Et quidem si hæc pravitas Ordinarji [38] judicis erit, universa domus ejus ratio, atque omnia, vel civilia, vel criminalia negotia, quamdiu idem in administratione fuerit, Vicario [39] competant. Sin autem Vicarius, vel similis potestatis, vim [in] hujusmodi matrimonio contrahendo molietur: vicissim [40] Ordinarius judex intercessor existat. Sin [autem] erunt utrique suspecti, ad illustrem Præfecturam specialiter talium domorum, quamdiu ibidem administraverint, tuitio pertineat. Dat. 15. Kalend. Jul. *Thessalonicæ* GRATIANO A. V. & THEOD. A. I. CONSS. 380.

Posteà id immutatum: neque hodie licet tertio gradu uliam ducere. *ut hic. l. 17. §. de nupt. §. 3. Inst. de nupt.*

16 Jure canonico hujusmodi matrimonium subsistit. vide Wurmser. 1. *pract.* 36. *c.* 2.

17 *l. 15. ff. de sponsalib. l. 59. 4. 60. ff. de ritu nupt. l. ult. ff. de leg. 1. l. 2. §. 1. ff. de his, qui ut indig.* 4. Hamen. 6. *cap. περὶ ἐπιτροπῶν.* 28. *Eccl.* 5. *c.* 13.

18 *d. l.* 59. *l. 1. l.* 60. §. 1. *l.* 14. *J. de excusf. tut.*

19 Privigni sui tutor quis esse potest. *l. ult. J. de contr. jud. tut.*

20 Socer non prohibetur dari curator nurui. *l.* 17. *J. de excusf. tut.*

21 Titius Cajam duxit, Titii pater Cajæ datus est tutor: estne dirimendum matrimonium? non est: nam rite contractum matrimonium ex post facto non vitiatur. *adde l.* 28. §. *de nupt.*

22 Suspicionem etiam vir bonus cavere debet. fic Julius Cæsar, *Mees tam suspicione quam crimine judico carere oportere.* Sueton. *in Julio* 74. Sic Livia apud Dionem, *oportet te Augustæ non modo non peccare, sed ne videri quidem peccasse.*

23 Eroti Pamphilus manumissus tutor Cajæ filiæ patroni datus, potestne Eros Pamphilo suo naturali pupilam suam elocare? non potest. & sic appellatione filiorum naturales filii continentur. *adde l.* 64. *ff. de ritu nuptiarum.*

24 Curator potest adulto suo filiam suam matrimonio jungere. Filium autem adultæ cujus curam gerit, absque jussu Principis non potest: alioquin notatur infamia. 4. Hamen. 6. §. 52. *adde l. 1. §. ead.*

25 Potest enim adultus fine ullo metu rationem rei suæ ab uxore sua ejusque heredibus exigere.

26 Etiamsi tutor curatora ret ones reddiderit; pupillam tamen cujus tutelam gessit, non potest antequam ea vigesimum quintum ætatis annum attigerit, & concessam restitutioni quadriennium effluxerit, uxorem ducere, etsi jam ex altero matrimonio liberos suscepit. 4. Hamen. 6. §. 59.

27 Quod est prohibitum tempore minoris ætatis, idem durat tempore utilis anni, & ita restringe *legem* 19. *versf. idemque est in minore. ff. de novationib.*

28 Exceptio regulæ superioris.

29 *l.* 36. *ff. de ritu nupt. l.* 28. §. 3. *ff. de lib. & posthum. l.* 7. *ff. ad leg. Jul. de adult. l.* 1. *in fin. J. si nupt. ex rescripto.*

30 *l.* 36. *ff. de ritu nupt.*

31 *l.* 64. *ff. de ritu nupt.*

32 Prohibito nuptiarum ad tutorem & curatorem pertinens, non extenditur ad protutorem & procuratorem seu gestorem: alioquin paulatim omnis qui rationibus reddendis esset obnoxius, prohibetur sibi vel filio suo conjungere eam cui obligatas esset. *l.* 67. §. 5. *ff. de rit. nupt.*

33 Tentasse illicitum, crimen est, adde 28. *Synopf. 5. cap.* 39. & 3. *Cod. Theod.* 11.

34 Si quis quemcunque magistratum gerens, quamcunque puellam invitam, vel invitis parentibus ducere præsumpserit: decem auri librarum multa pro isto conamine præstare cogitur. *Synopf. Basil.* 28. *tit.* 5. *c.* 39. *l. unic. C. Th. eod. l. un.* 5. *si rect. provinc.* 4. 38. *l.* 63 *ff. de ritu.*

35 Magistratus justum motum intert.

36 Conatus punitur. vide *l.* 5. *J. ad leg. Jul. Majestat. d. l.* 20. *T. de fort.* adde Cujac. 15. *observ.* 25.

37 V. 5. *tit. de interdict. matrim.*

38 Recusari, suspicionis ob causam, judex ordinarius potest.

39 Non si ordinarius judex est, ideo vicarius ejus suspectus postulatur.

40 Ordinario suspecto, itur ad ejus vicarium & e contra, *ut hic.* si uterque, ad majus tribunal. *versf. sin autem. J.*

solvit.

1 *l.* 14. *l.* 33. §. *de Episcop. aud.*

2 *Novell.* 51.

3 Maleficii fidejussor accipi non potest. *l.* 70. §. 5. *ff. de fidejussor. Novell.* 51.

4 3. *C. Theod.* 12. Ulp. 5. §. 7. *tit.* 6. *coll. leg. Mosaic.* 28. *Eccl.* 4. *c.* περὶ γάμων κληρικῶν. 4. Hamen. 6. *c.* περὶ κακοωλεσίων γάμων. adde Petr. Gregor. 9. *Synt.* 11. Incestas nuptias Sozomen. appellat κακόζηλος καὶ κατηβολὴν κακοπάντων μίξεις.

5 *Nov.* 22. *c.* 17.

6 *l.* 10. *l.* 11. *ff. de divort. & repud.*

7 Hinc colligunt uxorem cogi moritum sequi, nisi pactum contrarium interpositum fuerit: qua de re vide Wurmser. 1. *pract.* 36. *c.* 4.

8 Dixi ad *l.* 7. §. *de Judais.* adde *Nov.* 18. *c.* 5. *verf. Sicut enim quis legitima uxori conjunctus.*

9 Sumpta est ex *l.* 6. *C. Theod. de decurionibus lib.* 12.

10 Plautus *Asinaria in prologo*, Quid istuc est? serviles nuptiæ? servine uxorem ducent aut poscent sibi? Novam attulerunt, quod sit nusquam gentium. At ego ajo hoc fieri in Græcia & Carthagini. Ita hic in nostra terra atque in Apulia, majoreque opera ibi serviles nuptiæ, quam liberales etiam curari solent. Hodie connubium cum ancilla esse potest. *Nov.* 78. *c.* 1. *Novell.* 117. *c.* 6. Goth. Idem Jure Canonico. *cap.* 1. & *tot. tit. extr. de conjug. Servo.* Ans.

11 *Nov.* 22. *c.* 10. *l.* 3. *J. solut. matrim.* Ulp. 5. §. 1. est tamen contubernium. Paul. 2. *sent.* 19. §. 3. inde uxores servorum contubernales. *l.* 12. §. 33. *ff. de instituti. vel instrum. legat.*

12 Natus ex ancilla & servo sit servus. *l.* 24. *ff. de statu hom. l.* 1. Gaji 4. §. 10. e contrario, natus ex libera & servo sit ingenuus spurius. *l.* 3. *in fin. J. spurii. matrim.*

13 Pœna quæcunque sit, sententiam judicis exigit. *l.* 12. *ff. de pan.*

14 Scientiæ supervenientis ratione quis punitur, qui ratione ignorantiæ excusabatur a pœna.

15 Publicatur res ubi sita est.

16 Et ita mitius punitur is, in cujus domo sit aliquid eo patente, quam ipse principalis qui deliquit. *l.* 1. *J. de falsa moneta. l.* 9. §. 2. *ff. ad leg. Jul. de adulteriis.* d. xi ad *Nov.* 14. §. 1. *Nov.* 42. *c. ult.* §. 2. *Nov.* 68. *verf. Omnibus. Novell.* 131. *c.* 8.

17 Coginur delicta graviora publicare & denunciare, non tamen præcipiti festinatione fed inquisita veritate facti. *arg. l.* 2. §. 43. *ff. ad SC. Tertull. l.* 137. §. 2. *ff. de verb. obligat. l.* 13. *ff. solut. matrim.*

18 *l.* 23. *ff. de ritu nupt.*

19 *l.* 6. §. *de nupt. l.* 2. §. 1. *ff. de his, quæ ut indign.* 28. *Eclog.* 5. *cap.* 30.

20 *l.* 5. *l.* 54. §. *de Episcop. & Cleric. l.* 26. *verf. Ea videlicet.* §. *de nupt.* & Contra Senatusconsultum. *l. 1. J. tit. proxim.*

21 De pœnis incestarum nuptiarum. vide *l.* 6. *J. eod.*

22 Ex *l.* 3. *C. Theod. eod.* Inter cæteras pœnas incestis nuptiis impositas hoc reletur, ut donatio propter nuptias fiat caduca: quemadmodum jure antiquo dos. *l.* 52. *ff. de ritu nupt.* novo non fit. *l.* 1. §. *de cand. ob caus.*

23 Ergo nec prælegatum consequi. *l.* 6. *h. t. l.* 27. *ff. de usufr. leg. l.* 23. *ff. de his quib. ut indign.* Ans.

24 *l.* 6. *J. eod. l.* 2. §. 1. *d. l.* 13. *ff. de his, quæ ut indignis. l.* 27. *ff. de usufr. legat.*

25 Errori acerrimo ignoscitur. *l.* 57. *in fin. ff. de ritu nupt. Novell.* 12. *c.* 1. *in fin.*

26 *Acerrimo* quidam ita legunt, idque probavit Albericus, eadem forma dicitur qua celerissimus a Caio Mario apud Prisianum, & ab Ennio apud Charisium. vide Cujac. 15. *observ.* 13. *in fin.*

27 Ætatis lubrico succurritur. *l.* 7. *in fin. ff. de ritu nupt. l.* 38. §. 4. *ff. ad leg. Jul. de adulteriis.*

28 Pœnitentia admittitur in incesto per errorem contracto. vide Hermogen. apud Ruffinum 6. *collation. leg. Mosaic.*

29 Una duobus fratribus jungi non potest. *l.* 8. *l.* 9. *J. eod. l.* 2. *C. Theodos. de incest. nupt.*

30 Unus duabus sororibus jungi non potest, *ut hic*: ut nec una duobus fratribus. §. *eod.* vide *canon.* 18. *Apost. cpt. Basilis ad Dionem. de eo qui duas sorores duxit.* Quin Nov. Patriarchæ Sisinii & Xiphinii vetat ne quis sororem sponsæ fuæ ducat. 3. Hamen. 6. Goth. In secundo tamen affinitatis gradu, veluti inter me & eam quam uxoris meæ frater uxorem habuit, nuptiæ prohibitæ non sunt. Affinitatis enim gradus nulli sunt, neque affines alii ex aliis nascuntur. *l.* 4. §. 4. *ff. de gradib. & affinib.* Quod affinitas tantum sit jus necessitudinis contractæ inter conjugem & alterius conjugis cognatos. *d. l.* 4. §. 1. *ff. de gradib. & affinib.* S. L.

31 Cum consobrina, sorore fratris filia, ejusve uxore. Hæc enim exempla ponuntur in *l.* 3. *C. Theodosian. eod.* unde hæc lex desumpta est.

32 Olim pœna ignium & proscriptionis erat. *d. l.* 3.

33 Prima pœna incestarum nuptiarum. §. 12. *Inst. de nupt.*

34 Secunda. *d.* §. 12. *verf. itaque.*

35 Tertia. *Novell.* 143. *verf. Sancimus.*

36 Quarta.

37 *l.* 4. §. *eod. l.* 52. *ff. de ritu nupt. l.* 3. *ff. de jure dot.* §. 12. *Inst. de nupt.*

38 Quinta.

39 Sexta.

40 Perfonis.

41 Conciliar. hujus auth. cum *Novell.* 17. *cap.* 12. Item cum *Novell.* 134. *cap. ult.* vide Rittershus. *in explicat. Nov.* 12. *cap.* 2. *part.* 4. *c.* 2. *num.* 35. Ans.

42 Vide J. *eod.*

43 Id est, deportatio. fait *l. 5. ff. de quæstionib.*

44 Octava pœna, bonorum privatio.

45 Spurius jure civili, neque inter vivos, neque ultima voluntate quidquam ex bonis paternis capere potest. Cujus sententiæ ampliationes quatuordecim, exceptiones decem, vide apud Duenzium *reg.* 365.

46 Nona pœna. *Nov.* 74. *c.* 6. alias pœnas. vide apud Clarum 5. *sent.* §. *incestus.* 9.

47 Vide *Nov.* 89. *c.* 15. Goth. De jure Canon. debentur alimenta. *cap. cum haberet.* 5. *extr. de eo, qui duxit in matrimon.* quo I sequitur Camer. Imper. Ans. *Gall. lib.* 2. *obs.* 88. *num.* 12. Ans.

48 Fit hujus constitutionis a Martiano latæ mentio *Nov.* 117. *c.* 6.

49 Pars Novellæ Martiani, *de matrimoniis senatorum.* §. *humiles.*

50 *d. cap.* 6.

51 Non ideo quia humilis aut abjectus, quia pauper. vide omnino *d. Novellam Martiani.*

52 Ex ingenuis cipere

1 Hinc illud Horatii, *lib. Epodon.* 4. *Fortuna mores non mutat genus.*

2 Humiles & abjectæ personæ quæ vide *l.* 1. *J. de natur. liberis.*

3 Id abrogatum *Nov.* 89. *c.* 1. §. 1.

4 *l.* 23. *l.* 44. *ff. de ritu nupt.* id abrogatur *Nov.* 78. *c.* 3. *Nov.* 117. *c.* 6.

5 Studio.

6 Et Judæorum & veterum. *l.* 3. *C. Theod. de incest.* Quin ipsi Ægyptii sorores eodem patre vel eadem matre genitas ducere poterant: Lacedæmonii eadem matre, Athenienses eosdem patre genitas, Philo Judæus *lib. de specialib. legib.* Atnob. 8. *contra gentes*: & hucusque pertinet quod apud Æmilium Probum in Cimone & proœmio vitarum legitur priscorum Athenienium more licitum fuisse sorores ducere *Nov.* 89. *c.* 15. *Novell.* 117. *c.* 6. Goth. Et Judæorum & veterum. *l.* 3. *C. Theod. de incest.* Quin ipsi Ægyptii sorores eodem patre vel eadem matre genitas ducere poterant: Lacedæmonii eadem matre, Athenienses eosdem patre genitas, Philo Judæus *lib. de specialib. legib.* Atnob. 8. *contra gentes*: & huc pertinet quod apud Æmilium Probum in Cimone & proœmio vitarum legitur priscorum Athenienium more licitum fuisse sorores ducere

TIT. VIII.

SI NUPTIÆ EX [1] RESCRIPTO PETANTUR. [2]

1. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Theodoro P. P.

QUidam [3] vetusti juris ordine prætermisso, obreptione [4] precum [5] nuptias quas se intelligunt non mereri, a nobis existimant postulandas, sæpe habere [puellæ] consensum confingentes: Quapropter tale sponsalium genus præsentis legis definitione prohibemus. Si quis igitur contra hanc definitionem nuptias precum subreptione [6] meruerit: amissionem bonorum, & pœnam deportationis subiturum se esse non ambigat, & amisso jure matrimonii, quod prohibita usurpatione meruerit, filios se ex hac conjunctione susceptos, justos non habiturum, nec unquam postulatæ indulgentiæ annotationisve indulto efficacem se veniæ effectum meruisse: exceptis his qui parentum [7] sponsionem de nuptiis filiarum implere desiderant, vel sponsalia [8], hoc est arrharum data nomine, reddi sibi præcepto legum cum statuta pœna deposcunt. Dat. Kal. Febr. HONOR. 8. & THEOD. 3. A. CONSS. 409.

2. Imp. ZENO A. Basilio P. P.

NEfandissimum scelus fratris sororisve filiæ [9] nuptiarum, quod sacratissimis constitutionibus sub gravissimæ pœnæ interminatione damnatum est, iterato præsentis divinæ sanctionis tenore modis omnibus prohibemus. Precandi quoque in posterum super tali conjugio (imo potius contagio) cunctis licentiam denegamus: ut unusquisque cognoscat impetrationem quoque rei cujus est denegata petitio, nec si per subreptionem [10] post hanc diem obtinuerit, sibimet profuturam.

TIT. IX.

DE [11] SECUNDIS [12] NUPTIIS. [13]

Pœna nubentis intra tempus luctus.

1. Imppp. GRATIANUS, VALENTINIANUS, & THEODOSIUS AAA. Eutropio P. P.

SI [14] qua mulier nequaquam luctus [15] religionem priori viro nuptiarum festinatione præstiterit: ex jure quidem notissimo sit [16] infamis [17]: præterea [18] secundo viro ultra tertiam partem bonorum in dotem non det, neque ei ex [19] testamento plus quam tertiam partem relinquat. Omnium præterea [20] hereditatum, legatorum, fideicommissorum, suprema voluntate relictorum, mortis causa donationum sit expers: hæc namque omnia ab heredibus, vel coheredibus aut ab intestato succedentibus vindicari jubemus: ne [21] in his in quibus correctionem morum induximus, sici videamur habere rationem. His etiam [22] amittendis, quæ prior maritus ei suprema voluntate reliquerit: quandiu hæc quæ mulieri a priori viro relinquuntur, & per immaturum [23] matrimonium vacuata esse cœperunt, primo a decem personis Edicto Prætoris enumeratis (id est, ascendentibus, & descendentibus, ex latere autem usque ad secundum gradum, scilicet gradibus [24] servatis) deinde [25] præsumi a fisco jubemus. Eandem quoque mulierem infamem redditam hereditates ab intestato [26] vel legitimas, vel honorarias, non ultra tertium gradum finimus vindicare. P. P. 15. Kal. Jan. GRATIANO V. & THEOD. AA. CONSS. 380.

In AUTHENT. de nupt. §. si autem tutelam. coll. 4. tit. 1. Nov. 22. cap. 40. & 2. pars hujus Authent. habetur collat. 4. tit. 18. al. tit. 16. de restit. & ea quæ parit undecimo mense. §. fin. Novell. 39. c. 2.

EIsdem pœnis subjicitur etiam ea, quæ [27] parit intra [28] luctus tempus, si modo indubitatum sit sobolem hanc ex defuncto non [29] existere: nam & usufructu antenuptialis donationis privatur. Item [30] & ea quæ susceptis liberorum tutela, contra sacramentum, secundo nubit, non prius tutorem petens, & rationem reddens, & exolvens omne quicquid debet. Sed hodie [31], ulteriore jure sacramentum ab ea non exigitur, sed contractus nuptiis a tutela repellitur.

2. Idem AAA. Eutropio P. P.

SI [32] qua ex fœminis perdito marito, intra anni spatium alteri festinaverit nubere (parvum enim tempus [33] post decem [34] menses [35] servandum adjicimus: tamersi id ipsum exiguum putemus) probrosis [36] insulta notis honestioris nobilisque personæ decore, & jure privetur: atque omnia, quæ de prioris mariti bonis, vel jure sponsalium [37], vel judicio defuncti conjugis consecuta fuerat, amittat. Dat. 3. Kal. Jun. *Constant. nop.* EUCHERIO & SYAGRIO CONSS. 381.

De his, quæ reservanda sunt liberis primi matrimonii, & de successione in bonis eorum, & quibus modis transeuntes ad secundas nuptias coercentur.

3. Idem AAA. Floro PP.

FOeminæ [38], quæ susceptis ex priore matrimonio filiis, ad secundas [post tempus luctui statutum] transierint nuptias, quicquid ex facultatibus priorum maritorum sponsalium jure, quicquid etiam nuptiarum solennitate perceperint, aut quicquid mortis causa donationibus factis, aut testamento jure directo, aut fideicommissi, vel legati titulo, vel cujuslibet munificæ liberalitatis præmio ex bonis ([ut dictum est]) priorum maritorum [39] fuerint adsecutæ: id totum ita ut perceperint, integrum ad filios quos [40] ex præcedente conjugio habuerint, transmittant, vel ad quemlibet ex filiis (dummodo ex his tantum [sit,] quos tali successione dignissimos judicamus) in quem contemplatione meritorum liberalitatis suæ judicium mater crediderit [41] dirigendum. Nec quicquam eædem fœminæ ex iisdem facultatibus alienandum in quamlibet extraneam personam, vel successionem ex alterius matrimonii conjunctione susceptam, præsumant: atque habeant potestatem possidendi tantum [atque fruendi] in diem vitæ, non etiam alienandi [42] facultate concessa. Nam si quid ex iisdem rebus in alium quemlibet fuerit ab ea translatum: ex maternis redintegrabitur facultatibus, quo illibata ad eos quos statuimus liberos bona, & incorrupta perveniant. §. 1. Illud etiam addimus [huic] legi, ut si aliquis ex iisdem filiis quos ex priore matrimonio susceptos esse constabit, forte decesserit matre jam secundis nuptiis funestata [43], aliis etiam ex eodem matrimonio progenitis liberis superstitibus, id quod per eandem successionem ab intestato, vel ex testamento suæ posteritatis mater videbitur consecuta, in diem vitæ suæ pro fibi debita portione sola [44] tantum possessione delata, omne his qui supererunt, ex priore suscepti matrimonio filiis relinquat: nec super istiusmodi facultatibus testandi in quamlibet extraneam personam, vel quicquam alienandi habeat potestatem. † Quod si nullam ex priore matrimonio habuerit successionem [45], vel natus native decesserint: omne quod quoquo modo percepcerit, pleno proprietatis jure obtineat, atque in his nanciscendi [46] dominii, & testandi circa quem voluerit, liberam habeat facultatem. Dat. 6. Kalend. Jun. *Constantinop.* ANTONIO & SYAGRIO CONSS. 382.

In AUTHENT. de nupt. §. si vero expectet. coll. 4. tit. 1. Novell. 22. cap. 23.

IN donatione propter nuptias, etiamsi alius pro viro dederit, deferit eam proprietas.

In AUTHENT. col. constitut. & §. quibus supra. versic. venient autem talia. Novell. ead. cap. 25.

1 3. C. Th. 10. 18. *Eclog.* 5. c. 40. 2 Seu reconcilientur: quod Græcis est κεφαλαιοῦσθαι. *Synopf. Basil.* 28. *tit.* 5. *c.* 40. 4. Harmenopul. 4. 5. 71. 3 *l. unic. C. Th. eod.* Nuptias sibi concilians Principis rescripto proscribitur, liberi ex ea conjunctione nati liberi non sunt, etiamsi precibus, κεφαλαιοῦσθαι, id est, ut id fibi indulgeretur, obtinuerit. *d. c.* 40. & *d.* 9. 17. 4 Non valet rescriptum obreptitium, vel illicite impetratum. *l. ult.* §. *eod. l. ult.* §. *de diverf. temptat.* adde *l.* 29. *ff. adleg. Corn. de falf.* 5 *l. ult.* §. *de inofficf. testamentorum.* 6 Subreptionem hic vocat, quam superius, obreptionem: contiundantium. *nupt.* 7 *l.* 6. *in fin.* §. *de* 8 *l. unic.* §. *fiveliur pivoinc. vel ad eum pertin.* 9 Dixi ad *l.* 17. *intercidit. matr.* 10 Vide §. *de nupt. l. ultim.* §. *de inofficf. & inutil.* 1. 39. *ff. de ritu nupt.* §. 3. *Inst. de nupt.* 11 Vide *l.* 1. §. *eod.*

12 *l.* 3. *C. Theodof.* 3. *c.* 28. *Eclog.* 12. *cap.* περὶ τῶν δευτερογάμων, &c. adde 4. Harmenop. 7. de pœnis secundarum nuptiarum, vide *Nov.* 22. *cap.* 20. 23. & *feq.* Gail. 2. *obferv.* 98. Wurms. 1. *tract.* 36. *cap.* 5. *c.* 9. de tertiis & quartis, vide *Novell. Leon.* 90. *Conftantini Porphyrogenn.*